



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque
Ecclesiæ Præcepta**

Tamburini, Tommaso

Dilingæ, 1697

Tractatus V. De V. Ecclesiæ Præcepto. Hoc Est, De Solutione Decimarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40032



TRACTATUS V.
DE
V. ECCLESIAE PRÆCEPTO,
HOC EST,
DE SOLUTIONE DECIMARUM.

CAPUT I.

Quid sit Decima.

1. **I**nquires primò: Quid sit Decima? Respondeo: Esse partem decimam, fructuum, quæ debetur Ministris Ecclesie. Sciendum enim est, Dominum DEUM tempore legis scriptæ voluisse, ut Levitis, qui erant Ministri in ipsius DEI Templo, ad eorum sustentationem darent omnes alij, qui non erant de Levitica tribu, decimam partem fructuum, quos colligebant ex suis prædijs, & animalibus, quibus carebat Tribus Levitica. Ecclesia ergo ad imitationem illius Temporis voluit, ut Ecclesiastici, qui rebus spiritualibus inserviunt, & Sacramenta populis Fidelibus ministrant, dentur etiam decimæ omnium similium fructuum, quos colligunt dicti Fideles ex suis prædijs, & animalibus, ut sic habeant, unde commo de sustententur Ecclesiastici.

2 An autem voluerit id Ecclesia, ex toto suo jure Ecclesiastico; an id

præceperit DEUS, ita ut decimæ dantur debita ex jure divino, nec solo Ecclesiastico, quæstio est inter Doctores, quam videre poteris apud citatos à Castropalao, tom. 2. disp. unica de decimis p. 1. qui tandem docet, illud, quod datur Ecclesiasticis ob eorum meram sustentationem, debere distingui ab eo, quod datur Ecclesiasticis ob rationem integræ decimæ, quæ certe solet esse major, quàm sit illud, quod datur ob sustentationem, additque, integras decimas deberi Ecclesiasticis ex solo jure Ecclesiastico; id verò, quod est necessarium ob dictam sustentationem, deberi etiam de jure divino, & naturali, juxta illud: *Dignus est operarius mercede sua.*

Quotuplex sit Decima, & ex quibus solvenda.

3. **I**nquires secundò: Quotuplex est Decima? Respondeo. Triplex. Prædialis, Personalis, Mixta. Prædialis est illa, quæ proficitur ex fructibus agrorum, arborum, piscinarum,

TAMEN
in
Ecclesia
XIV
de
testibus
E.
30.

ram, molendinorum, locationum, domorum, &c. Personalis est, quæ proficitur ex fructibus, & proventibus ab industria personæ; ut ex lucro negotiationis, ex mercatura, ex ludo, ex bello, venatione, &c. Mixta, quæ partim provenit ex industria personæ, partim ex prædijs; hujusmodi est, quæ provenit ex fructibus animalium, lacte, caseo, beryro, &c. ad hos enim fructus concurrunt industria hominis, & pascua prædiorum.

4. Notandum autem est, hodie si ve ex consuetudine, si ve alio ex capite, jam non esse usum solvendi decimas personales, ut habent Doctores plures, quos citat, & sequitur Castropalaus, *loc. cit. p. 6. n. 10.*

5. Notandum item, decimas mixtas, quæ parte sunt decimæ personales, esse partim modo usu abrogatas; sunt enim omnes personales abrogatæ. Quare non erit necesse, ut in hac disputatione de mixtis agamus; siquidem quæ parte proficiuntur à prædiorum pascuis, prædiales sunt, de quibus certe deinceps agendum nobis erit.

6. Regula igitur sic universalis; decimas de jure debentur Ecclesie ex omnibus fructibus, & proventibus, qui habentur ex bonis mobilibus, qualia sunt animalia, & ex bonis immobilibus, quales sunt domus, prædia, piscinæ, &c. Ita elarè habetur *cap. Nobis. cap. Non est*, & passim *titulo de decimis.*


7. Dices: hinc sequitur, quod non solum ex frumento e. gr. collecto ex agris deberetur decima, verum etiam ex palea, & ex herbis, quæ venduntur in foro ad animalia pascenda, ex

omnibus fructibus arborum, ex oleibus minutis, ex leguminibus; hæc enim omnia, & similia fructus sunt prædiales. Item deberetur etiam ex melle, & cera, quæ sunt fructus apum.

8. Respondeo: Concedendo sequelam ex vi, & rigore juris: tres tamen limitationes sunt adhibendæ. Prima est, excipiendæ esse olera minuta, quæ ex hortis colliguntur, non ad lucrum, sed ad quandam commoditatem, & voluptatem propriæ familiæ, ut notat S. Thomas, 2. 2. *quest. 83. art. 2. ad 3.* id enim exigere, nimis esset fidelibus onerosum.

9. Secunda limitatio est, ex examinibus, & alvearibus apum, quæ de nudo prodeunt ex præcedentibus apibus, non debentur decimæ; hæc enim vel habentur quasi animalia sylvestria, & industriæ personæ ea colligentis tribuuntur, vel ipsa consuetudine legitime introducta non debentur, ut notat Azor, *lib. 7. tom. I. cap. 35. quest. 9. & cap. 34. num. 4.*

10. Tertia limitatio, hæc esse dicta de rigore juris; nam cæterum in multis ex his per consuetudinem legitime præscriptam derogatum est: propterea enim omnes Doctores, de hoc argumento decimarum tractantes notant, debere in unaquaque Ecclesia considerari, & servari illud, quod ibi consuetum est.



CAPUT II.

A quibus solvenda est decima?

1. **I**nquire tertio: *Quinam debent solvere, decimas?*

Respondeo: Omnes baptizati, quicumque ij sint, ut habetur *c. ex transf. missa de decimis*. Id quod confirmat ipsa ratio, quia decima datur in sustentationem Ministrorum Ecclesie, qui conferunt Sacramenta, aliaque spiritualia Fidelibus: at hi inserviunt quibuscumque baptizatis in ejusmodi ministeriis ergo &c.

2. Dices, ergone etiam pauperes, parvulum agellum habentes, debent?

Respondeo: Cum præceptum de decimis, ut decimæ sunt, sit Ecclesiasticum, ut diximus *cap. preced. num. 2.* non obligare eum tanto rigore: quare, tum pauper, qui sit in extrema necessitate, tum qui sit in gravi, ut si solvat decimam, debeat pro suo, familieque victu mendicare, excusatus erit ab eorum solutione: nec judicandum est, Ministros Ecclesie velle ita arctare pauperes, ut cum tanto ipsorum incommodo velint decimas ab illis eximere: multo magis, quia in tanta necessitate omnia sunt communia. Quare illas decimas jure suo potest tantus pauper sibi consumere. *Lege Suarium, tom. 1. de relig. lib. 1. c. 16. & 18.*

3. Dices secundo: Ergone non solum Laici omnes cujuscumque status, & conditionis, verum etiam omnes Clerici?

Respondeo: Ita profectò; quia etiam ipsi Sacramenta, aliaque spiritualia ministeria recipiunt à Parocho.

Ipsè autem Parochus idèò non solvit decimas, quia, cum ipse eas omnes recipiat ab alijs, sibi retinet etiam illam decimam, quam deberet, si Parochus non esset. Adde hinc illud, quòd dicam *num. 6.*

4. Dices tertio: Ergone etiam Religiosi?

Respondeo: Etiam & illi propter eandem rationem deberent; tamen, ex privilegijs multis, quæ ipsi obtinent à Pontifice jam eximuntur ferè omnes, ut expressè habetur *c. ex p. 1. de decimis.*

Quæ quidem privilegia præter Castropalaum *loc. cit. num. 11.* Suarium, *tom. 2. de Religione lib. 1. cap. 8.* Leandrum, *de decimis disp. 6. à quest. 30.* aliòque, sic breviter habet Palqualigus in Laureum de Franchis, *part. 2. quest. 72.* De jure communi, ait, Religiosi omnes sunt exempti à solutione decimarum de novalibus, ac de hortis, quos ipsi colunt, & animalialibus, quæ ipsi nutriunt *cap. ex part. 2. de decimis, & alibi.*

At verò ex privilegijs Summorum Pontificum ferè omnes Ordines Religiosorum absolute eximuntur à solutione omnium decimarum, etiam prædialium, cuicumque solvendæ sint. Ex his autem privilegijs plura ab alijs recensentur: sed insigne est privilegium concessum à Gregorio XII. Societati JESU, & omnibus Religiosis, qui communicant cum ejus privilegijs. Hoc autem sic habet.

Universam Societatem, omniaque, & singula illius domos, etiam Probationis, & Collegia, ubique existentia, præsentia,

TAMBR
in
siccoli
NIVIA
de
redibus
E
30.

sentia, & futura, eorumque personas, fructus, redditus, & proventus etiam honorum Ecclesiasticorum, Sacularium, & Regiarum, quorumcumque illis pro tempore unitorum, aliasque res, & bona, quacumque, à quibusvis decimis, etiam Papalibus, prædialibus, personilibus, quartis subsidis, etiam charitativis, & aliis oneribus, quomodolibet impositis, perpetuo liberamus, & eximimus. Hæc Gregorius.

Hactenus Pasqualigus. Legite item eundem *ibid.* *quæst.* 34. ubi eximit etiam colonos, qui prædia Religiosorum conducunt, ut ea colant, parte unum fructuum sibi retenta, & altera ipsis Religiosis soluta, quo pacto dicuntur Partitarii: ut item eos, qui eadem prædia conducunt eo pacto, ut quodannis talem censum Religiosis solvant, quo modo dicuntur conductores centuales. Et ratio est, quia illa prædia semper sunt ex bonis Religiosorum; & ex altera parte supponimus, ejusmodi Religiosos participare privilegium prædictum tum personale, tum reale non solvendi decimas.

Lege denique eundem *ibid.* *quæst.* 75. qui eximit quidem eosdem Religiosos, qui habent sæcularium prædia in Emphyteusim, sed non eximit eos Religiosos, qui ejusmodi prædia sæcularium habent per paucos annos conducta. Ratio diversitatis est, inquit, quia is, qui habet prædium sæcularium in Emphyteusim, licet non habeat proprietatem, habet tamen ejus utile dominium, & sic potest dici, illud esse bonum Religiosorum, hoc est, bonum utile ipsorum. At qui habet ex loca-

tionem, non habet illud in ullo dominio, & sic quamvis illud per breve locationis tempus retineatur à Religiosis, non potest dici, esse bonum Religiosorum. Ita dicit Pasqualigus, cum Azor Lezana, Peyrino. Verum Suarez, & Castrop, ab ipso citati docent, ejusmodi bona sæcularia, sive ad longum tempus, quæ dicuntur Emphyteusis, sive ad breve, quæ dicuntur conductio, vel locatio, accepta, & culta à Religiosis, docent, inquam, esse subjecta decimationi, quia Emphyteusis, ajuat, non differt à conducto, nisi secundum majus, vel minus tempus. Quare ea bona, utroque modo considerata non dicuntur absolute bona Religiosorum; quæ sola eximuntur ab obligatione decimarum. Utraque sententia videtur probabilis.

5. Illud pro Clericis sciendum omnino est, Clericorum bona dupliciter generis esse posse. Alia enim ipsi habent titulo temporali, hoc est, titulo hæreditario, vel patrimonij, vel legati, donationis, vel simili. Alia habent titulo spirituali, qualia sunt, quæ habent ex beneficijs Ecclesiasticis. Ex his ergo bonis posterioribus non debentur decimæ, saltem sic concedente, seu interpretante consuetudine; & de his bonis explicant Doctores cum Suarior, *loc. cit.* n. 23. dictum illud Pontificis, *de decimis. Novum esse, ut Clerici à Clericis decimas exigant.* Sensus enim est, ut insolitum sit Clericos exigere à Clericis decimas ex illis rebus, quæ titulo Clericali habent. Addit *ibid.* Suarez Clericos nec etiam teneri solvere decimas ex acquisitis titulo spirituali.

6. At verò ex bonis prioris generis decimæ debentur omninò ; quia etiam ipsi, ut dictum est, debent recipere aliqua Sacramenta, Pastorémque debent suum recognoscere. Hic autem est illa exceptio, quam innumis *num. 3.* Parochi enim, & multò magis Episcopi, excipiuntur à solvendis decimis ; quamvis enim Parochi Episcopo tanquam suo Pastori ; & Episcopi Summo Pontifici subdantur, & pariter ipsi indigeant, ut sibi spiritualia ministrentur, unde deberent decimas solvere ex suis saltem redditibus temporalibus ; tamen eis hanc obligationem noluit imponere Ecclesia, ut notavit Suarez, aliique apud Castropalaum *loco cit. n. 4. p. 11.* Excipe, nisi fortè prædiant in alienis Ecclesiis, quibus solitum erat decimas solvi. Id, quod explicatius, vide apud eundem Castropalaum *n. 5.*

Quibus debeantur decimæ ?

7. **I**nquires quartò. Quibusnam personis debent solvi decimæ ?

Respondeo. Ut id radicitus intelligatur ; sciendum est ; olim tempore nascentis Ecclesiæ catui Clericorum debitas fuisse decimas, quas Episcopus pro mensura, & qualitate laboris secundùm eorum necessitates ipsis partebatur, juxta illud Gregorii XVI. *q. 7. c. 1. Decimas sub manu Episcopi fore censemus, ut ille, qui ceteris præest, omnibus justè distribuatur.*

8. At verò processu temporis facta fuit divisio Parochiarum, designatæque sunt Clerici, qui in Parochiis ministra-

rent ; & tunc Episcopo, & Clero simul decimæ debebantur.

9. Postea verò facta est alia major divisio ; crescente enim proventu decimarum, plures decimæ fuerunt applicatæ illis, quibus beneficia Ecclesiastica fuerunt concessa : aliz verò fuerunt applicatæ aliquibus ex gratia, vel privilegio, ratione meritum, quæ ii haberent de Ecclesia : aliz denique applicatæ fuerunt pro stipendio servitij, seu obsequij, quæ aliqui Ecclesiæ præstarent, & sic in præsentia servantur. Quare hi omnes, quamvis aliqui ex his nec Parochi sint, nec Beneficiarij, decimas recipiunt titulo spirituali, quia omnes intervium Ecclesiæ. Nam decimæ licet præcipuè dentur Parochis, eò quòd ministrent populis Sacramenta ; dantur tamen etiam iis, qui sunt ex officio deputati ad divinum cultum, eisque interserviunt. Ita latè Suarez *lib. 1. cap. 28. & 29.* His cognitis.

10. Respondeo ad quæsitum, Decimas jam hodie deberi sive Parochis, sive Beneficiariis, sive illis Clericis, quibus jam applicatæ illæ sunt. Ratio est jam toties dicta, quia ij Ecclesiasticis ministeriis sunt deputati.

11. Hinc vides primò, Clericis aliis non interservientibus nullas deberi hodie decimas, quia non sunt ab Ecclesia designati, ut ejus Ministri.

12. Vides secundò, Nec ex Jure Communi deberi decimas Religiosis, quia hi pari modo non sunt ab Ecclesia deputati ad ministeria Ecclesiæ, sed id faciunt ex devotione, vel ex voto, vel ex professione propria suæ Religionis.

TAMEN
in
Ecclesiis
de
E
30.

13. Dixi (ex Jure Communi:) nam sive ex privilegio Pontificis, sive ex eo, quod ipsi Religiosi Parochiam aliquam legitimè administrant, recipiunt aliquando decimas. quia tunc ab Ecclesia deputantur ad ejusdem servitia præstanda.

An decimæ debeantur Parochis divitiis, lege apud Excobar *de Præcept. solvendi decim. sect. 2. c. 15.*

CAPUT III.

De Loco, Tempore, aliisque circumstantiis solutionis Decimæ.

De Loco.

I Inquires primò. Ubi decimæ solvendæ sunt?

Respondeo. Decimam prædialem propriè, hoc est, illa, quæ ex fructibus terræ colligitur, omnes Doctores docent esse ex Jure Communi solvendam in Ecclesia Parochiali, in cujus Jurisdictione situm est prædium, etiamsi Parochianus, hoc est, Dominus prædij alibi inhabitet, atque alibi Sacramenta percipiat. Ita expressè definitur *c. ult. de restitutione spoliatorum in 6. & alibi*; cujus definitionis ratio fuit, ut Jura Ecclesiæ, & decimæ firmæ essent, nec mutatione personarum variarentur.

2. Decima verò, quæ ex animalibus debetur, quamque nos supra largè reduximus ad Prædialem, sed alii mixtam appellant, partim modo debetur in-

tegrè illi Ecclesiæ, in cujus situ animalia pascunt, vel accubant, seu dormiunt, quamvis dominus alibi commoretur.

Unde, si hyeme in una, in æstate in alia accubant, & pascunt, dividendæ sunt decimæ.

3. Quid, si toto anno alibi pascunt, alibi accubant?

Respondeo. Duas esse sententias. Altera probabilis, quam sequitur S. Thomas 2. 2. q. 77. ar. 3. & Fagundez *de 5. Eccl. Præcept. lib. 1. cap. 5. n. 10.* affirmat, integras decimas deberi Ecclesiæ, in cujus situ pascunt. Altera probabilior, quam sequitur Suarez cum Castropalao *de decimis c. 8. n. 8.* ait, esse inter illas duas Ecclesias dividendas, sed majorem partem esse dandam Ecclesiæ, ubi pascunt. Ratio S. Thomæ est, quia fœtus animalium proveniunt ex fructibus prædiorum, hoc est, ex herbis, quas animalia depascunt. Ratio Suariz est, quia non potest negari aliquid conferre ad dictos fœtus ipsum accubitum, quo animalia requiescunt, & somno relecti, vel utrum gerunt, vel concipiunt.

4. Illud adverte, decimam propriè prædialem totam deberi Ecclesiæ, in qua sita sunt prædia, ut dictum est, quia ita definitur in Sacris Canonibus, ut diximus n. 10. at verò decimam hanc ex fœtibus animalium, quia de ea nihil expressè definitum invenitur; aliqui Doctores volunt, de his dandam esse aliquam partem ei Ecclesiæ, ubi Dominus habitat, recipitque Sacramenta. Ita Navarrus, quem citat Castropalaus *loc. cit. n. 6.* affirmans, id esse probabile.

Sem.

Semper autem recole, hæc dici ex vi Juris, nam cæterum semper erit legitima Ecclesiarum consuetudo servanda.

5. Adhuc locum pertinet illa quaestio, an scilicet decima deferenda sit ad Ecclesiam, seu ad horreum Clerici, cui illa solvitur, an satisfiat debito, si illam des in agro, in vinea, in tua domo?

6. Respondeo. Nullibi in jure communi definitur, debere deferri ad domum Clericorum. Quare sufficiet, si in agro, vel vinea des. Ita Suarez num. 6. aliique: spectanda tamen semper est consuetudo, quæ consuetudo erit legitima, si decem annis viguerit; ad firmandum enim consuetudinem de re, quæ non est contra jus, seu quæ non est in jure prohibita, sufficiunt anni decem, ut notat etiam hic cum aliis Castropalaus *lococit. n. 5.* nam quando est contra jus, aliqui requirunt annos 40. sed vide Castropalaum *lococit. punct. 4.*

7. At verò addo, non sufficere, si des in tua domo, seu horreo tuo, nisi quando ipse, cui decima debetur, sit in causa. Explico. Fructus indecimatōs, hoc est, à quibus non est extracta decima, non potes ad tuum horreum deferre, nisi prius admoneas ipsum, cui decimam debes, quia secus injuria fieret Ecclesie. Quòd si, monitus sibi sumere, negligat, tunc sanè poteris illos in tuum horreum recondere, vel in area relinquere, nec teneris expectare; tunc enim decimæ creditor sibi imputet damnum, si quod patitur. Ita cum aliis Bonacina *disp. ult. de Præcept. Eccl. q. unsc. p. 1. n. 2.*

8. **I**nquires secundo, Quando nam sunt decimæ solvendæ?

Respondeo. Decimam propriè prædialem dicitur à Pontifice, *c. Camb. minis de decimis*, deberi statim fructibus collectis. Quare vindemiata e. g. uva, antequam exprimatur, separanda est decima, quia tunc jam fructus vineæ est collectus. Idem dicitur in reliquis fructuum generibus.

9. Adverte tamen, ex fructibus animalium tunc decimam solvendam esse, quando fructus sine matre vivere potest: secus, nullius ferè utilitatis essent. Lac verò, caseus & butyrum, quia successu temporis ea colliguntur, solvenda sunt in fine collectionis. Lana item, quando oves tondentur. Atque hæc ex jure. Cæterum servetur legitima consuetudo, si illa alicubi extat, ut toties dictum est.

10. Quæres; si ille, cui decima debeatur, eam à me suo tempore non exigat, obligor ne illam solvere?

Respondeo. Sanè obligaris, quia statim decima solvi debet, ait Pontifex, & statim ac fructus collecti sunt, quod debitum solo decursu temporis non extinguitur. Ita Suarez, Azor, Castrop. *lococit.* aliique communiter. Quòd si aliqui Doctores requirunt, debere peti; ij sunt explicandi, debere peti ad efficiendum, ut debitor decimæ possit excommunicari, non verò ut à culpa excusetur. Hinc notanter modo n. 7. dixi, non debere debitorem fructus indecimatōs in domum, vel horreum suum

TAMEN
in
Ecclesia
XIVAD
de
redibus
E
30.

suam deferre, nisi consentiente eo, cui decima debetur, vel eo negligente, modo *ibid.* dicto, quia statim ac collecti sunt, etiam nullo petente, Ecclesie omni jure debentur, & Ecclesia habet jus in re, nec solum ad rem in illis fructibus collectis, quamvis in cumulo adhuc sint, & nec dum sint separati, ut fuit Castropalaus, *loc. cit.* p. 2. Legite Etobar, de præcepto solvendi decimas *sect. 2. cap. 14. dub. 25.* afferentem Castropalaum, innuentem, esse probabile non teneri, nisi petente Parocho, aliisque citantem.

An deducenda expensæ.

12. Inquires tertio? An debitor decimæ possit ex fructibus deducere expensas, & decimam solvere ex eo, quod ijs deductis, superest. Titius c. grat. colligit ex suo agro viginti mensuras frumenti, pro quo frumento expendit arando, metendo, frumentum serendo, & pro cæteris necessariis, expendit, inquam, decem aureos, quanti valent decem mensuræ c. g. frumenti, debetne Titius duas mensuras, an unam?

13. Respondeo; omnino debere duas; sic enim definit Pontifex *capit. Cùm non sit de decimis.* Ne igitur dicas, per legem civilem, & per aliquos contractus illos dici fructus, qui supersunt, ablati expensis; ne id, inquam, dicas, quia per leges civiles, & per contractus respicitur lucrum, quod certe illud est, quod remanet, deductis expensis; at in materia decimarum per sacros Canones non respicitur lucrum, sed expressè respiciuntur ij fructus, qui

Tambur. de Præcept. Eccles.

è terra nascuntur; sive autem multas expensas effeceris, sive modicas, semper id, quod colligitur, est fructus nascens à terra, DEO scilicet concurrente, in cujus recognitionem debetur decima.

14. Dices, ergo si e.g. ego seminavi decem mensuras tritici, & in aliquo sterili anno collegi non nisi decem, adhuc debeo unam mensuram, & omittere expensas pro illis factas. Melius sic fuisset, si nihil seminasset, nam nihil deberem?

15. Respondeo: Concedendam esse omnino consequentiam. Nam etiam ille modicus fructus ex terra, concurrente DEO, profectus est. Quod si nihil seminasset, jam cum nihil habuisset à terra, non est mirum, quod tunc debuisset nihil. Ita Fagandez, Suarez, Bonacina, Lessius, Castropalaus, *loc. cit.*

16. Duo adde. Primum, sive colas agrum per te ipsum, sive per Colonum, sive per Partitarium, semper debetur integra decima, quæ tamen integra soluta, nihil amplius debet Colonus, vel Partitarius, quia secus bis eadem decima solveretur.

17. Secundum, graviter te peccare, si ex fructibus eligas deteriores, & illos des pro decimis, quia cum æquæ boni, ac deteriores procreentur ex terra, æquæ de illis decimas solvere teneris. Ne igitur pro te eligas meliores, & pro Ecclesia deteriores, sed ex collecto, sine fraude, cumulo, da bona fide, quod debes. Ita Doctores citati. Te posse separare meliores à pejoribus, & decimam dare

Ggg

de

de melioribus, sanè actus esset Religio-
nis valdè laudabilis.

CAPUT IV.

Pœna non solventis decimam.

1. **I**Nquires primò. Quas pœnas in-
currit, qui decimam non sol-
vit?

Respondeo: Præter peccatum mor-
tale, quòd habet duplicem malitiam,
nempè sacrilegij, & injustitiæ, quia
tollitur à DEI Ministris id quòd ipsis
debetur in recognitionem DEI Crea-
toris omnium; præter id peccatum,
inquam, incurrit excommunicationem
non quidem læ sententiæ, sed feren-
dæ, id est, postquam monitus quis red-
dere, non reddit. Quòd hæc sit ex-
communicatio ferenda, non verò læta,
apertè colligitur ex Tridentino *sess. 25.*
cap. 12. de reform. Qui decimas, in-
quit, aut subtrahunt, aut impediunt,
excommunicentur, nec ab hoc erimi-
ne, nisi plena restitutione sequuta, ab-
solvantur. Idem dicitur in *c. statuumus*
16. quest. 1.

2. Nota autem singula Tridentini
verba. Primò, illud (*subtrahunt, aut*
impediunt:) non solum enim, qui non
reddunt decimas, sed etiam qui impedi-
mentum affert, ne reddantur, in ead-
em pœnas incidit.

3. Nota secundò illud (*excommu-
nicentur:*) cum enim sit modus impe-
ratus, denotat excommunicationem
ferendam, ut dicitur in tractatu de ex-
communicatione. Atque hæc corrige,

quod mendosè Typographus scripsit in
Castropalao, *de decimis p. 14. n. 1.* ubi
sic impressit (qui non solvunt integras
decimas, excommunicationi subji-
ciuntur:) corrige, inquam, (subji-
ciuntur.)

4. Nota tertio (*nisi plena restitu-
tione:*) nam non excusatur ab excom-
municatione, si partem quis reddiderit,
totam enim, & integramolvere debet.
Lege Leandrum, *de decimis disp. 2. q.*
39. Excipio, nisi forte pars non red-
dita sit tam modica, ut propter gene-
ralem rationem parvitatismateriz, pa-
rum quod deest, pro nihilo reputetur.

5. Nota quarto (*non absolvuntur:*)
id enim intelligitur, si est in crimine.
Posset enim evenire, ut quis fuerit po-
tens reddere decimas, unde excommu-
nicationem contraxerit, sed nunc sit
impotens, & absolutionem petat. Di-
co igitur cum Leandro *loc. cit. q. 38.*
& Sanchez, *lib. 2. sum. cap. 20. num. 19.*
tunc posse absolvi, quia non est in cri-
mine, si nunc impotens est. Addit
Castrop. *loc. cit.* ut is, priusquam absol-
vatur, debeat jurare, se soluturum,
cum possit.

6. Pœna secunda est privatio Ec-
clesiasticæ sepulturæ, ut notat cum alijs
Leander, *loc. cit. q. 50.*

7. Pœna tertia est excommunica-
tio læta, non tamen Papæ reservata,
contra Religiosos persuadentes populo,
ne decimas solvant, vel illas ipsas usur-
pantes, & cætera similia tentantes cit-
ca solutionem decimarum, ut clarè
pronunciatur in *Clementina 1. de deci-
mis, & in Clem. Cupientes, de panis.*
Lege Toletum *l. 6. c. 20. n. 5.*

8. Pœna

TAMBR
in
stecclij
XIVAD
de
redibit
E.I
30.

CAPUT V.

De Primitiis, & oblationibus
Primitia.

I. **O**ccasione decimarum, loquimur breviter de primitiis. Inquires ergo primò, quid sint? Secundò, cujus juris sint primitiæ?

2. Respondeo ad primum. Olim in veteri lege *Exod. 13. & alibi* præceptum erat, ut universa frugum initia, quæ gignit humus, Domino reportarentur. Distinguuntur autem Primitiæ à decimis in duobus. Nam decima est pars decima fructuum: primitiæ verò sunt ipsi primi fructus. Præterea decima solvitur in sustentationem Ministrorum Dei, & in recognitionem supremi dominij in nos ejus subditos. Primitiæ autem offeruntur Deo, ejusque Ministris in gratiarum actionem pro beneficiis receptis, & in recognitionem Dei, quo auctore provenit nobis, quidquid à terræ fructibus accipimus.

3. Respondeo ad secundum, quamvis in lege nova *c. qui 13. q. 2. c. 1. de decimis, & alibi* adsit præceptum Ecclesiasticum (non enim apparet esse divinum, nec naturale: nam recognitioni Dei, gratiarum actioni, & sustentationi Ministrorum Ecclesiæ satis, superque fit per ipsas decimas, vel per alias vias;) quamvis, inquam, adsit hoc præceptum; tamen rectè norant Lessius *lib. 2. c. 39. dub. 6. num. 31.* & Azor *tom. 1. lib. 7. c. 38. q. 3.* in omni ferè regione illud esse legitima consuetudine abrogatum, nam, cum sit me-

Ggg 2 rum

8. Pœna quarta est excommunicatio in Bulla Cænæ, & quidem lata, & Pontifici reservata contra exigentes, usurpantes, occupantes, sequestrantes decimas, & ad id auxilium præstantes, ut fusè habet Suarez, Toletus, alique in explicatione Bullæ Cænæ.

9. Hæc de pœnis. Ubi insurgit illa quæstio, quæ non rarò occurrere solet. Magistratus sæcularis, quando est sterilitas in civitate, cogunt Ecclesiasticos, ut vendant frumentum, quod ex decimis collegerunt, vel etiam ex suis agris, immò aliquando vi, quamvis justo pretio dato, vel promisso, ab illis auferunt, vel sequestrant, peccantne; & in Bulla Cænæ excommunicationem incurrunnt?

10. Respondeo verbis Castropalæi *loc. cit. p. 14 n. 4.* Dicendum est, ait, eos Magistratum excommunicatione ligari ob talem sequestrationem, nisi prius tentaverint necessitati subvenire auctoritate Judicis Ecclesiastici: quia, dum ille negligens non est, non habent Magistratus auctoritatem fructus beneficiorum, vel Clericorum usurpandi. At Judice Ecclesiastico negligente, ne populus pereat, poterunt illa bona, quæ Clericis necessaria non sunt (quæque ipsi cerè obligarentur populo vendere) in sequestro ponere: & favet lex Regia, Gutierrez, & Matrenzo supra cit.

Etiam legem. Hæc Castropalaus.




rum Ecclesiasticum; potuit contraria consuetudine aboleri.

4. Dixi tamen (*ferè*.) Nam audio in aliqua regione adhuc durare. Advertit autem *loco cit.* Azor, quòd ubi lex hæc extat, non solvuntur primitiæ, nisi à Clericis petantur. Adderem ego, si talis est consuetudo petendi. Adverti item potest cum Castropalao, *de decimis p. 60.* eam quantitatem, vel qualitatem, & eo in loco, vel eo in tempore primitiæ donari, quæ ipsamet consuetudo in ea regione solet usurpare. Advertit denique Vega *in responsionibus casuum Bononiensium*, alicubi primitiæ solvi loco decimarum; quare tunc obligatio erit, illas solvendi, quæ est solvendi decimas.

5. Quæres. Ubi primitiæ solvi consueverunt, in qua quantitate solvi debent?

Respondeo, in jure nullam esse quantitatem primitiarum definitam; relinquatur enim arbitrio offerentium, ut testatur S. Hieronymus de primitiis Hebræorum, ad quarum imitationem dantur à Fidelibus, & refertur *in Decr. lib. 3 c. 1.* cujus hæc sunt verba: *Primitiæ, inquit, quas de frugibus offerebant Hebræi, non erant speciali nomine definitæ, sed offerentium arbitrio relicta. Traditionem quoque acceptam Hebræorum, non lege præceptam, sed arbitrio Magistrorum inditam, quòd qui plurimum, quadragesimam partem dabant Sacerdotibus: qui verò minimum, sexagesimam.*



Oblationes.

6. Inquires secundò de Oblationibus.

Respondeo. Oblatio, ut de illa hic sermonem habemus, est donatio alicujus rei sive ex mobilibus, sive ex immobilibus facta Ecclesiæ ad ejus necessarias expensas, sive pro fabrica, sive pro ornamentis, sive pro similibus. Differt à decimis, vel primitiis, quia latius patet, quàm illæ; cum offerri ex omnibus bonis, nec solum ex terræ fructibus, aliquid possit.

7. Si ergo quæramus, quid iuris de illis, dico nullum extare præceptum in jure de his, ut notant Doctores cum Suario *tom. 1. de Relig. tr. 2. lib. 1. c. 5. n. 2.* Quare, si tu obligeris e.g. aliquid Ecclesiæ offerre, quia id volisti, vel quia ad aliquid offerendum tuis Patet testamento te obligavit, hoc debitum non est ex vi præcepti obligationis, sed ex vi voti, vel testamenti.

8. Hic autem duæ quæstiones sunt dissolvendæ. Prima est, an saltem in aliquo casu sit obligatio apud Fideles, aliquid offerendi, seu donandi Ministris Ecclesiæ, si forte hi indigeant, vel debeat reparari Ecclesiæ fabrica, nec habeatur unde? Ad quam sic rectè respondet Castropalaus *loco cit. p. 17.* Si Fideles Parochiani primitiæ, vel decimas solvunt sufficientes ad Parochi proprii, & Episcopi (addo, & Ministrorum Ecclesiæ) sustentationem; non tenentur oblationes alias facere; quia ipso jure non tenentur ampliores donationes facere, quàm eas, quæ sufficientes judicantur ad debitam Ministrorum

TAMEN
in
Ecclesiæ
XIVAD
de
E
30.

storum sustentationem. Quod si decimæ in beneficia simplicia divitæ sunt, aut aliis usibus applicatæ, cujus causa deficit congrua sustentatio Episcopo, Vicario, aut Beneficiario, non tenentur ipsi Fideles supplere, sed aliunde provideri debet. Hæc Castropalaus.

9. Quæres. Quid, si Parochiani sint adeo pauperes, ut non valeant decimas, aut oblationes facere sufficientes ad Parochi sustentationem?

Respondeo cum eodem Castropal. : tunc Episcopum debere uti remediis traditis à Tridentino *sess. 31. c. 7. & 8. de reform. & sess. 24. c. 3. de eadem*, id est, transferendo Ecclesiasticos alios redditus ad has necessitates, atque his applicando, & similia; quæ remedia, si adhuc sufficientia non sint, recurrendum erit ad Summi Pontificis providentiam.

10. Secunda difficultas est, an ex aliqua consuetudine, saltem immemorabili, possit fieri, ut hæc oblationes, de quibus loquimur, obligentur sub mortali Fideles exhibere?

Ad quam respondet Sorus *lib. 2. de Just. q. 7. art. 2.* non posse, quia consuetudo hæc aliquid offerendi in ipso principio fuit, & debuit fuisse sponta-

nea, & libera, ergo absque ulla obligatione, ergo neque per continuationem potest nasci de illa obligatio, quia nunquam adsuit in Fidelibus animus, se obligandi: continuata enim fuit illa prima, quæ non fuit cum obligatione.

Respondet autem Suarez *loco cit. l. 5. c. 5. n. 1.* posse, quam Suarii sententiam communiter Doctores, Lessij, Fagundez, aliorumque esse, testatur Castropalaus *loco cit.* quia *e. ad Apostolicam de Simonia* Pontifex sic pronunciat. *Pravam exactionem fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari.* Si igitur, dicunt hi Doctores, pias consuetudines sunt observandæ, ergo est observanda illa consuetudo de oblatione, quæ saltem per immemorabile tempus est continuata.

II. Sed certè non video, sicuti nec videt Castropalaus *loco cit. n. 4.* convincentem esse hunc textum; nam Pontifex explicat, observandas esse quidem consuetudines pias; sed eodem modo, quo sunt introductæ, cum libertate erunt observandæ. Erit ergo, inquit Castropalaus, sententia obligans solum propter autoritatem tot Doctores probabilior judicanda,



P A R E R G O N

AD QUINTUM ECCLESIAE PRÆCEPTUM.

DISPUTATIO UNICA.

De Immunitate cujusdam Monasterij à quadam Gabella.

CAPUT I.

Proponitur status questionis.

Titius Laicus non multarum ovium dominus requirit ab Abbate, seu Procuratore, cujusdam Monasterij, habentis ovium gregem, pascentium in suis proprijs Monasterij prædijs? Titius, inquam, requirit, ut is Procurator admittat paucas illas oves intra Monasterij gregem, ea conditione, seu pacto, ut pro compensatione pascuorum, Titius det, seu vendat Monasterio omnem fructum lactis, qui eo anno habebitur ex suis ovibus; nam partus earundem sibi idem Titius acquireret. Breviter Titius, & Monasterium ejusmodi contractum ineunt, ut hoc det pascula pro fructibus lactis, hoc est, caseo, butyro, recocta, quam vocant; ille verò det dictos lactis fructus pro pascuis.

Quoniam verò in ijs locis positum est vectigal (quod vulgò, gabellam appellamus) super lactis fructibus; idèo vectigalium publici Quæ-

stores illud exigere à præfatis lactis fructibus Monasterio à Titio concessis, intendunt; à Titio, inquam, Laico, Nam Immunitatem Ecclesiasticam Monasterij sic nequaquam lædi, sibi persuadent. Quærimus ergo quid juris?

CAPUT II.

An contra Immunitatem agant Gabellarij, si à prædictis lactis Fructibus Gabellam Ex-torqueant?

ANequam id decernatur, recolendum est breviter, qualis nam, & quanta sit hujusmodi Immunitas Ecclesiasticorum à vectigalium solutione? Certa enim est, & explorata Theologorum, Canonistarum, & juris civilis peritorum sententia, quam nemo ex Catholicis audet impugnare, bona Ecclesiastica, immunia, & omninò libera esse ab oneribus, seu gabellis impositis per Communitates, vel Principes quoscunque Laicos. Ita definitum est in Conc. Lateranensi sub Alexandro III.

p. 1. cap. 19. sub Innocentio III. cap. 46. & habetur C. Non minus. & C. Adversus. De immun. Eccl. & c. 1. & 3. eod. tit. in 6. Et c. quamquam de censibus in 6. & in Clem. unica de Immun. Eccles. Quæ Sanctiones innovatæ fuerunt per Sacrum Concil. Trid. sess. 25. c. 2. de refor. Romanique, Pontifices quotannis in Balla Cænz Domini hujusmodi onera imponentes Ecclesiasticis, & ab ipsidem exigentes excommunicatione latæ sententiæ Summo eidem Pontifici reservata. percutiunt. Sed alijs multis ommissis, proderit hîc proponere Canonis verba in prædicto c. quamquam de censibus in 6.

Ecclesia (inquit) Ecclesiasticaque persona, & RES IPSARUM non solum jure humano, quin immò divino à Sacularium personarum exactionibus sunt immunes.

Conlonat Pius V. qui eximit omnes Ecclesiasticos, Monasteria, eorûmque AGROS, ET BONA ab omnibus gabellis, impositionibus, &c. Hanc Pij V. Constitutionem habes in promptu apud Dian. p. 3. tract. 1. ref. 19.

His in memoriam revocatis, assero pro prædictis fructibus lactis, nullo modo posse Gabellam exigi.

Probatur id primò hoc efficaci argumento. Omnes Ecclesiastici, atque, adèo prædictum Monasterium, sunt immunes à solutione gabellarum in suis quibuscunque bonis, & rebus, ut ex præcedente capite constat; sed prædicti lactis fructus, de quibus noster est sermo, acquisiti ex pretio, seu consumptione, quam Titij oves faciunt de Monasterij pascuis, sunt in ejusdem.

Monasterij bonis, ergo Monasterium, in dictis fructibus est Immune à solutione gabellæ, ergo in excommunicationem ille incurret, qui ex ijs illam exigere præsumperit.

Major hujus argumenti est evidens ex illis verbis citatis in præcedente capite Pij V. (Ecclesiasticæ personæ, & RES ipsarum, & BONA) & ex alijs *ibidem* dictis.

Minor est certissima ex vi ipsius contractus inter Monasterium, concedens Titio pascuorum commoditatem, & Titium dantem fructus lactis Monasterio. Consequentia igitur est manifesta.

Quamvis autem hîc non sit rigorosè, & propriè emptionis, & venditionis contractus; est nihilominus per æquipollentiam; siquidem intercedunt pascua pretio æstimabilia, atque adèo intervenit pecunia æquivalenter, & res, quæ venditur, nempe lactis fructus. In rigore autem est contractus commutationis, seu contractus innominatus, quem appellare consuevimus, *DO ut DES*: qui quidem quoad translationem dominij eundem parit effectum, perinde ac parit rigorosa venditio; scilicet ut res, quæ ementi traditur, transeat omninò, & in omni rigore in dominium recipientis. *L. Naturalis ff. de præscript. & passim Jurisconsulti, & Theologi de contractibus innominatis.* Ex Theologis instar omnium hîc sit De Lugo tom 2. de Just. d. 22. num. 6. qui in hunc modum contractus innominatos breviter explicat.

Ad innominatos contractus pertinet primò. Quando das Petro, ut laboret

in tua vinea, quod est: Do, ut Facias.

Secundò. Quando laboras, ut tibi det Boves, quod est. Facio, ut Des.

Tertio. Quando das Boves, ut det tibi vinum, quod est: Dò, ut Des.

Quartò. Quando laboras in ejus vinea, ut ipse te doceat aliquam artem, quod est: Facio, ut Facias.

Et quidem contractus in casu nostro est ille tertius, dat enim Monasterium pascua, ut Titius det lactis fructus.

Probatúr secundò nostra assertio ex definitione dominij. Dominium est jus (id est, facultas, seu potestas) potestatis disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur. Bart. in leg. Si quis H. de acquirenda possessione, cum juris peritis communiter. Molina, d. 3. de just. & jure cum Theologis passim. De Lugo autem, tom. 1. de just. d. 2. num. 3. sic dictam definitionem declarat.

Dominium (ait) est tale jus in re, ut ratione illius possit Dominus disponere de re in quoslibet usus.

Jam ex hac dominij descriptione sic assertio nostra probatur. Monasterium habet perfectum dominium illorum fructuum lactis, quos habet acquisitos suorum pascuorum pretio, ergo est eorum perfectus Dominus, ergo illi sunt res, & bona Monasterij. Sublumo: sed super rebus, & bonis Monasterij nullum imponi vectigal potest, ergo &c.

Quamvis enim super lacte, quod nondum existit extra prædictas oves nutritas Ecclesiæ pascuis, Monasterium habeat dumtaxat jus ad rem; tamen

postquam emungitur, & existit extra illarum mammæ, acquirit Monasterium, super illas, jus in re, utpote legitime suis pascuis per illas oves detonsis acquisitum. Habe paritatem non ineptam ad hunc discursum comprobandum. Si ego Dominus meæ servæ gravidæ donarem, seu pretio venderem Petro, non quidem servam ipsam, sed futuram ejus prolem, sanè statim, ac factus ab utero existentis servæ excluderetur, transiret in absolutum dominium Petri. Ita ergo in casu nostro, & consequenter, qui aliquid intendit contra dictos lactis fructus, contra Ecclesiæ dominium intendit.

Probatúr tertio, ex notabili doctrina decisionis Rotæ apud Alcanium. Tamburinum de Jure Abbatum 3. decis. 104. sub Merlino n. 4.

Bona, inquit, dum Ecclesiæ traduntur, eo ipso eximuntur à dominio, & potestate LAICORUM, & ex speciali jure sub dominio CHRISTI DOMINI constituuntur, nec per Metaphoram, sed per omnimodam proprietatem, ita ut tale dominium super his bonis Ecclesiarum sit proximè, & immediatè in CHRISTO DOMINO, illique dicatur acquisitum tanquam principali Domino, ut per Innocentium in c. Cum super n. 3. de causis poss. & prop. Et in c. Verùm n. 2. de foro comp. Afflic. dec. 361. à n. 22. Suar. ad Regem Angliæ lib. 4. c. 17. n. 9. & c. 18. n. 5. & 7. & c. 21. n. 5. Comitol. resp. mor. lib. 1. c. 70. resp. latè id probantem. Unde si CHRISTUS DOMINUS omninò immunis fuit à tributis per SS. Patres allegatos à Suario loco cit. c. 5. n. 1. consequens est,

TAMBR
in
Ecclesiæ
XIVAD
de
redibus
E. I
300

est, ut bona Ecclesiarum, quæ subsunt immediato, & proximo dominio CHRISTI DOMINI ab omnibus tributis sint immunia.

Expaulò post. Si bona patrimonialia Clericorum, etiam laicalia, sunt immunia ab oneribus laicalibus ob dignitatem personatum, quia dignitas personæ influit Immunitatem in ipsa bona, illa enim adherent personæ Clerici, nec persona dici potest plenè, & perfectè exempta, nisi etiam illius bona exempta sint, ut notat Abbas, Decius, Felinus, & alij Canonistæ communitè in c. Ecclesia S. Maria, & in c. que in Ecclesiis de const. Baldus in l. 2. c. de Epsco. & Cler. Suarez alios referens d. lib. 4. c. 75. n. 4. & seqq. multò magis idem erit in bonis Ecclesiarum: tum quia perpetuò sunt Ecclesiastica, & in divinum cultum per se ordinantur, tum quia non Clericorum, qui Christi famularum agunt, sed ipsius CHRISTI DOMINI patrimonium sunt.

Hæcenus Rota. Si igitur prædicti fructus sunt res Ecclesiæ, atque adeò res sunt bona Christi Domini, quis tam temerarius erit, qui ab illis vectigalia extorquere non dubitabit?

Neque opponas, hanc exceptionem Clericorum esse de bonis Ecclesiæ solum immobilibus, quia hæc vox (Bona) videtur tandem modò significare res immobiles, quales sunt ejusmodi fructus lactis; ne id opponas, inquam, qui signare modò audivimus Summum Pontificem sic pronunciantem: Ecclesiastica personæ, & res ipsarum, &c. ab exactionibus secularibus sunt immunitas.

Tambur. de Precept. Eccles.

At sub voce (Res) mobilia etiam involui, nemo sapiens inficiatur. Adde, quæ modò etiam legimus.

Bona Patrimonialia Clericorum sunt omninò immunia ab oneribus laicorum ob dignitatem personarum, quia dignitas personæ influit immunitatem in bona; illa enim adherent personæ Clerici. Nec persona dici potest plenè, & perfectè exempta, nisi etiam ipsius bona exempta sint.

Atqui tam bona immobilia, quàm mobilia adherent personæ Clerici, ergo dignitas ipsius personæ tam in immobilibus, quam mobilibus exemptionem debet influere. Et profectò ridendus esset, qui affirmaret, prædium Clerici e.g. esse exemptum, non verò frumentum, quod colligitur ex prædio; quid enim notabilis emolumentum sic redundaret in Clericum? Idem esset in jure annui redditus, si jus esset exemptum, sed obnoxia vectigalibus esset annua pensio. Adde denique, nimis ineptè excludi à nomine bonorum prædicta mobilia.

Bonorum (ait Barbosa in varijs V. bona) simpliciter appellatione veniunt mobilia, se moventia, nomina debitorum, jura, & actiones. L. Bonorum 49. sine L. Rei appellatione 13. H. de verb. signif. L. Si legat 30. §. 1. H. ad Treb. L. Nomen C. que lex pignori Gloss. in l. Princeps 21. de Verb. signif. Abbas Consil. 43. Videtur 1. n. 3. lib. 1.

Probatum quartò, assertio nostra ex doctrina, quam affert Diana, part. 3. tract. 1. res. 19. quam etiam confirmat Thomas Bebeue, de imm. p. 1. cap. 5. dub. 7. sect. 18.

H h h

Notandum est (ait Diana) Colonos, seu affictatores prædiorum Ecclesiasticorum non teneri solvere gabellam, vulgò dictam (*de fieri*;) quia quando dicti Gabelloti taxant, & pretiant dictam gabellam, fructus non est separatus à solo Ecclesiastico immuni à gabella: ergo &c. Et idèd Carolus de Grassis *de effectib. Clericaru effectus* 3. n. 9. sic asserit; In facti contingentiâ in hac urbe Panormi fuit decisiu pro emptoribus fructuum pendentium viridarii Religionis Melitensis contra Gabellotos, qui prætendebant jus gabellæ ab ipsis emptoribus; & hoc, quia fructus non erant separati à solo, tempore venditionis.

Hæc Diana. Ex qua doctrina sic in rem nostram arguimus, Conductores laici prædiorum, & arborum Ecclesiasticarum non debent gabellam ex fructibus, qui pendent in arbore, quia illi sunt in dominio Ecclesiæ, cujus sunt ipsæ arbores; quando autem separantur ab arbore, & asportantur, idèd gabellam debent, quia tunc jam transferunt in dominium conductorum Lalcorum, qui eos emerunt, ergo è contra in casu nostro quando lac nondum est expressum ab ovium uberibus, quod æquiparatur tunc fructibus ab arbore pendentibus, quia tunc est in dominio Titij Laici, eius nempè, cujus sunt oves, debet esse gabellæ obnoxium, si impositum forrè sit aliquod onus ovibus lactescentibus. At verò quando lac jam emunctum, atque est extra ovium ubera, quasi fructus extractus ab arbore, quia est in dominio Ecclesiæ vigore præfati contractus, Do, ut Des,

subjectum esse vectigali nullo modo potest.

Probatuè quintò: Fas, impositum esse tributum super piscibus e. gr. quos piscatores suis retibus, & instrumentis explicantur: aliquis verò Ecclesiasticus emat (ut fieri solet) jactum retis, dato pretio, de quo facta sit conventio, vel data aliqua re, e. g. amphora vini, qui est contractus Do, ut Facias. Extrahantur autem multi pisces. Proterò hi omnes erunt ejus Ecclesiastici, qui pretium, vel vini amphoram contulit. Nam quamvis, idem in mari natabant, non fuerint in ullius dominio, extracti tamen incidunt in dominium illius, qui emerat. Quare, si piscator pro se extraxisset, vectigal obvere ex illis deberet: nunc verò, qui pro Clerico exempto extraxit, nihil Clericus debet. Simile quid contingit in casu nostro. Si Titius Laicus non convenisset cum Monasterio per contractum, Do, ut Des, essent fructus lactis prædicti subjecti utique impositi oneri: nunc verò, cum sint Ecclesiæ, nihil debet Ecclesiæ.

Probatuè danique evidenter ratione ducta à possessionis beneficio. Monasterium per multos annos in possessione immunitatis ab hoc onere existit, illam enim præsentam gabellam nunquam persolvit, ut ipsimet Exactores testantur, seu farentur. Quæ ratione igitur ab ejusmodi possessione Monasterium deturbare sine iniustitia, ne dicam, sine sacrilegio, audebis? Confirmatur, quia à nemine auferri possessio potest, quam quis habet legitime acquisitam (qualem sine dubitatione

Mo-

TAMBR
in
Ecclesiæ
XIV
de
redibus
E.I
30.

Monasterium habet) nisi luce meridiana clarius constet, illegitimam illam esse, ut est communis, & certa doctrina Doctorum apud Sanchez, *lib. 6. in decal. c. 3. n. 7. & lib. 4. cap. 40. n. 8. Castrop. tom. 1. tract. 1. disp. 3. p. 2. n. 11. De Lugo, de just. tom. 1. disp. 16. n. 106.* & passim apud juris peritos, ergo non poterunt Exactores vectigalium, nec quilibet Judex Monasterium depellere ab hac immunitatis possessione sine evidenti ratione in oppositum, quæ nullâ excogitari profectò potest.

Due oppositioes diluuntur.

Prima oppositio. Probabilis est sententia, quòd Colonus Partitarius Clerici pro portione suorum fructuum teneatur solvere gabellam, ut docent viginti Doctores, quos laudat Menochius, *de arbitrariis cap. 202. num. 36.* ergo pari modo, si non Monasterium, certe Titius illam debet, qui est Colonus Partitarius Monasterii.

Respondeo primò. Sed est probabilissima opinio, quòd dictus Partitarius, pro portione suorum fructuum illam solvere non adstringatur, ut docent sexdecim Doctores, quos laudat, & ipse idem Menochius sequitur: *loc. c. num. 46.* & idem alii plures, Ascanius Tamburinus, Abbas, Diana hoc citans, *l. 3. tract. 1. ref. 19. De Lugo, de just. tom. 2. disp. 36. num. 107. Delbene, de parlamentiis dub. 30. sect. 18.* Cùm ergo utraque opinio sit probabilis, prævalebit nostra, quia pro nobis additur continuata possessio, ut item favor Ecclesiæ, quæ semper præferenda est.

Sed respondeo secundò. Nam non indigemus nos prædicta Menochii doctrina pro nostra disputatione, quæ est longè diversa ab ea, quam ipse exagitat. Ipse enim loquitur de parte fructuum, qui sunt in dominio laici Partitarii. Nostra autem quæstio est de parte fructuum, qui sunt in dominio Ecclesiæ. Esto igitur, quòd noster Titius debeat gabellam ex suis agnis, hædis, & ovibus, quæ cedunt in ipsius portionem, si super illis aliquod onus impositum fore è sit. At qua ratione id extendis ad fructus lactis, qui cedunt in portionem Monasterii? Monasterium enim, & Titius celebrant veluti contractum Societatis. Titius contribuit oves, Monasterium contribuit pasca, ea conventionem, & pacto, ut fructus ex lacte sint Monasterii, fructus partium sint Titii.

Quòd autem in hujusmodi contractibus Societatis animalium, ut & in aliis Societatibus, debeatur vectigal ab Ecclesia, pro sua parte, nullus unquam dixit, nullus somniavit.

Secunda opposita. Saltem ex alio capite prædicti fructus vectigales esse debent quia nimirum Monasterium in hoc contrahendo modo videtur esse negotiator; Clerici autem negotiantes ex vulgaris juribus de Clerico negotiatore debent ex negotiatione gabellam.

Respondeo, nimis fallum esse, huc intervenire negotiationem à Sacris Canonibus interdictam. Etenim, quòd agit Monasterium in hoc contractu inito cum Titio, nihil aliud est, nisi vendere, seu dare pasca, ut recipiat pretium

tium in fructibus lactis. Venderene, seu distrahere rem tuam, ut rem æquivalentem recipiat, est mercaturam facere? Ergo Clericus, si commutet suum bovem cum æquo laici, negotiationem exercet? Idemque si frumentum ex suis agris collectum distrahat, ut accipiat vinum, mercator est? Profecto hæc oppositio neutiquam fieret ab eo, qui vel primis labiis attingeret sacros de hac re vulgatos Canones, præsertim *C. Secundum instituta, ne Clerici, vel Monachi, & ejus Glossam: & idem Doctores passim: Molinam tom. 2. de just. tract. 2. disp. 342. Alter. tom. 1. de cens. disput. 19. num. 5. cap. 6. dub. 7. Martam de jurisd. p. 4. casu 3. num. 9. & 10. Barbos. tom. 2. de coll. in jus Can. lib. 3. tit. 50. cap. 6. num. 3. Maider. part. 2. de just. tract. 5. cap. 2. d. 4. & sexcentos alios Theologos, & Canonistas.*

Quod si Monasterium hos lactis fructus velit pro suo usu, vel suorum operatorum contumere, ne umbra quidem apparebit negotiationis. Immo, si velit eos vendere, & re ipsa venderet, nec id saperet vitiam ullam negotiationem, ut ex sequentibus luce clarius erit manifestum.

CAPUT III.

Monasterium, si venderet prædictos fructus, negotiator non esset.

Si ejusmodi fructus Monasterium emeret, purè ut venderet, certè ne-

gotiationem exerceret, Clericis vitiam; definitio enim negotiationis vitia est emere quid, ut immutatam, lucri causa, vendatur. *C. Pervenit ibi distinct. & alibi. Less. libr. 2. de just. cap. 21. dub. 1. num. 8. Duarcus in Bulla Cæna lib. 2. can. 18. quest. 8. num. 14. & sequentibus. Rizzius tom. 1. praxis resolut. 317. Sperellus decis. 94. num. 8. & seq. Diana, multos alios referens part. 11. tract. 6. ref. 41.*

At quia Monasterium non emit hos lactis fructus, ut lucri causa vendat, sed ne suorum pascuorum jacturam patitur, consequens est, ut dicamus, mercaturam nullam facere. Sic autem potest id per convincentem argumentationem confirmari. Is, qui non emit, ut vendat, & quantum faciat, negotiator non est; sed Monasterium non intendit quantum ullum, sed solum curat recuperare pretium suorum pascuorum eo meliore modo, quo potest, ergo &c.

Quod si deinde ex his lactis fructibus, quos propter prædictam necessitatem emit, aliquam partem vendat, quæ fortè illi superest ex suo, & famulorum suorum usa, per accidens est, & nullo modo mercaturam importat. Immo assero, tamen si Monasterium omnes lactis fructus, quotquot ex suis pascuis recipit, venderet, negotiationem exercere ex sacris Textibus, & Doctoribus minimè diceretur, quia semper constabit, non emere, ut lucri causa vendat, sed ut sua pascua non amittat. Ecce *C. secundum instituta ne Monachi, vel Clerici.*

Sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causa lucri negotientur.

Ac estne causa lucri negotiari, curare ut non pereant pascua Fundi Ecclesiastici? Adde Glossam *ibid.* V. causa lucri.

Sed causa (ait) necessitatis posunt.

Innocentius autem *ibidem* in principio V. *lucrum*, sic habet clarissime.

Prohibitio hæc negotiationis limitatur, nisi *lucrum* proveniat ex opere, vel re sua.

Sed piget cumulare Doctores in re manifesta. Lege illos apud Fagnanum, in *dictum* cap. secundum *insti- tuta*.

Probatum secundò, ex quotidianis exemplis. Nam si Clericus horreum suum locaret Petro e. grat. mercatori, qui locationis pretium solveret in frumento, quod pro victu, cultuque Clerici necessarium non esset, quis, rogo, negabit, illum posse dictum frumentum vendere absque ullo mercatura vetitæ timore? Si Clericus quisquam locaret molendinum, vel vineam, reciperetque à conductore triticum, vel vinum, quis diceret, hunc Clericum negotiari, si dictum triticum, vinum que divenderet? Pari- gitor ratio est in casu nostro. Doctores citati id passim docent, & præter- tim Pyrrus Corradus sic habet in *praxi dispensationum libr. 5. capite 4. num. 24.*

Non debet molestari Clericus sub præ- textu illicitæ negotiationis, si is vendat frumentum, vinum, aut oleum ex redditibus sui beneficii, ait Gutierrez de *gabellis* q. 93. n. 25.

Certè in nostro casu fructus lactis sunt ex redditibus, seu proventibus prædiorum Monasterii, quæ sunt veluti bona beneficalia Religionis.

Probatum tertio, ex iis, quæ docet Pellizzarius in *manual. tom 2. tract. 6. cap. 20.*

Non est, inquit, negotiator Cleri- cus, si ex frumento in propriis agris collecto conficeret panem, cumque venderet, Et paulò post reddit ratio- nem hanc,

Quia panis factus ex frumento col- lecto in propriis agris est fructus, seu quasi fructus propriorum prædiorum; adeoque sicuti Clerici vendentes fru- mentum perceptum in suis agris non sunt negotiatores, ita nec erunt, si ven- dant panem.

Dicamus ergo nos. Lac factum ex herbis Monasterii est quasi fructus præ- diorum Monasterii, ergo &c.

Et de pascuis nota, quid sentiat Pyr- rus Corradus, *l. c. n. 28.*

Nec debet molestari Clericus, si ha- bens pascua multa, emit animalia (hoc est, boves, oves, &c.) ut depascant pascua ipsius Clerici, & cum pingua facta sint, vel cum partus ediderint, illa, & eorum parius, vendant, quod eis non est interdictum ex Rodouo de *spoliis* &c.

H h h 3

Si

Si igitur licet Clerico emere animalia, ut ipsius pascuis pinguescant, & cariori pretio vendantur, quanto magis licebit Monasterio, oves illas Titii velui conducere (quod est longè minus, quam emere) quæ ejusdem Monasterii pascuis alantur, & sic utilius pro ipso Monasterio lactescant.

Denique probatur quartò, ex vulgato illo juris consultorum axiomate. Subrogatum sapit naturam ejus cui subrogatur. Barboza in varijs, Axio- mate subrogatum cum innumeris Docto- ribus ibidem allatis; atqui fructus lac- tæis, de quibus est sermo, subrogan-

tur, seu dantur loco pascuorum, ergo & ipsos participes esse oportet qualita- tis (ut ita loquar) moralis pascuorum, ut scilicet quemadmodum immunita sunt pascua ab omni onere, & divendi cum exemptione possunt, sic & ipsi lac- tæis fructus acquisiti à Monasterio ex suis exemptis pascuis. Atque hæc de hujusmodi nimis manifesta Monasterii immunitate dicta sint hæcenus satis. Et nos item de quinque præceptis Ec- clesie satis. Verùm SS Virgini, majore, quo possumus, obsequio, gratias agere, ne oblivis- camur.

TAMIRV
IN
ECCLESIA
XIV
de
redibus
E.I
30.0

F I N I S.

LAUS DEO, AC BEATISSIMÆ VIRGINI,
AC BEATO ALOYSIO GONZAGÆ.



IN-